



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 102. Pachecus in quadam Congregatione de Theologo inter Canonicos
instituendo mentionem faciens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Etum. II. Ut, dum removerentur ob-
stacula libero jurisdictionis Episcoporum Sæc. XVI.
exercitio, ab Apostolica Sede, ejusque A.C. 1546.
Administris injecta, una pariter consu-
leretur iis impedimentis, quæ a profana
potestate inferebantur, quo curatio foret
integra, & pars quælibet intra fines offi-
cii contineretur. III. Ut, quemadmo-
dum Pontifex consenserat, ne illius par-
tis emendatio, quæ proprie proximeque
sui muneric erat, absque Synodi senten-
tia decerneretur, ita similiter Synodus
satius haberet, nihil in eo absque consen-
su Pontificis definire.

Acceptis hisce Papæ jussis mox de-
cretum fuit, quod præprimis de con-
cionibus ac prælectionibus ageretur.

§. CII.

*Pachecus in quadam Congregatione de
Theologo inter Canonicos instituen-
do mentionem faciens.*

Habita est die secunda Maji quædam *Pallav.* c. 4.
Congregatio, in qua de pluribus ^{n.} 2.

Decretis proxime condendis agebatur,
unde in Ecclesiæ disciplina non pauca
fuere immutata. Præprimis Cardina-
lis Pachecus ita perorabat: *Videtur mi-
bi, Patres, quibus ea cura demandata,*
*accuratius in recensendis abusibus se ges-
sisse, quam felicius in remedii excogi-
tan-*

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *tandis: illa, quæ proponebantur, fuerunt jam a Lateranensi Concilio sub Innocentio III. adhibita, sed improspero fructu. Multi censem, quo Ecclesiastici sacris doctrinis imbuerentur, certum statuendum proventum, quem Theologalem præbendam appellant, bujusce rei procuratione Episcopis injecta; at pene insperabilis existimatur Decreti executio, ubi ea executori delegato est obfutura, & tamen bujusmodi proventus fundari non potest absque aliquo Antistitium dispendio: opportunum præ cunctis erit, rogare Pontificem, ut in qualibet Diœcesi destinaret huic ministerio Sacerdotium primo vacaturum, quodcumque illud esset. Innumeræ pariter fidelium offensiones oriuntur ex Quæstorum Concionibus, præsertim ob privilegia Cruciatæ, ut vocant in Hispania; proinde lege convenientum erit, ne quis eo munere fungatur, nisi babito examine ab Episcopo ad id comprobatus.*

Pluribus, præcipue vero Canariensi Antistiti hæc Pacheci sententia probatur: alii vero Religiosorum exemptiones aboleri vehementius urgebant, ex adverso autem Legati cuncta Regularium, ac præprimis Fratrum Mendicantium, ac Universitatum privilegia omnino intacta esse servanda propugnabant,

bant, quæ res tamdiu ultro citroque fuit **Sæcul. XVI.**
 agitata, ut cœtus die decima Maji ha- **A.C. 1546.**
 bitus usque ad vesperam protraheretur,
 quin tamen quicquam decidi posset, nec
 tamen longior hæc mora Legatis mo-
 leste accidit, cum exinde amplius Pon-
 tificis jussa præstolandi spatiū nanci-
 scerentur.

§. CIII.

Fesulanus Episcopi opinio.

Postquam Theologorum, Jurisque pe- *Pallav. l.c.*
 ritorum opiniones, quas illi in prio- *Raynald. hoc*
 ribus Congregationibus proponere ju- *ann. n. 61.*
 bebantur, non nisi summatim ob nimiam
 earum prolixitatem prælectæ fuerant,
Fesulanus Episcopus sede sua surgens
 scriptum quoddam a se elucubratum con-
 tra Regulariam exemptionem animo
 magis exacerbato recitavit. *Religione*
adigor, inquiebat ipse, *ut Patrum con-*
sessui exponam, *quod Episcopi munera*
sui sint memores, *quod si præstarent*,
eveniret utique, ut mercenariis ad id non
indigerent. *Acerbe angor*, *quod liberum*
fit Regularibus, *neque missis*, *neque vo-*
catis, *suis in Cœnobiosis per Episcoporum*
Dioœceses concionari. Postea exclama-
 vit: *Quidnam hoc est aliud, o Patres,*
nisi permittere, ut lupi non per ostium,
sed aliunde ingressi ovile perturbent?
 Dein eosdem per Deum ac Superos ob-
 fe-